



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. 45. Rerum vicissitudines in Hungaria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

Sæculum XI. dem Constantinopolitanam occupasset
A.C. 1043. annis septendecim. In ejus domo in-
 venti sunt centenarii viginti quinque, id
 est, bis mille quingentæ auri libræ, ab
 ipso congestæ, quas Imperator tolli ius-
 sit. Successit Michael Cerularius, quod
 nomen a cera acceperat, monachum indu-
 tus, ex quo a Joanne Evnucho ob crimen
 læsæ Reipublicæ exilio damnatus fuerat.
 Is in Festo Annunciationis Beatæ Virgi-
 nis in possessionem Sedis suæ assertus est,
 & secunda Maji Joanni Spadoni oculi
 eruti sunt, quo tolerato supplicio non
 plus aliquot diebus superstes fuit.

§. XLV.

Rerum vicissitudo in Hungaria.

In Hungaria, defuncto Sancto Stephano,
 Petrus ejusdem ex Sorore nepos Rex
 salutatur. Cum vero, ex prosapia Ger-
 manorum ortus, populari in suos affectu
 Præfecturas & præcipua munera in Ger-
 manos spargeret, offensi Hungari Ovo-
 nem seu Abam, S. Stephani affinem, Re-
 gem sibi eligunt; unde Petrus tertio Re-
 gni sui anno fuga sibi consulere coactus,
 in Germaniam ad Regem Henricum ni-
 grum se recepit. At Ovo multum san-
 guinis humani fudit, viris de Senatu præ-
 cipuis tempore Quadragesimæ, verisimi-
 liter anno millesimo quadragesimo primo,
 crudelem in modum occisis. Tum ad
 cele-

Chro. Jo. de
 Thuroez. c.
 35. 36.

vit. S. Ge-
 rardi. Sur.
 24. Sept. &
 Act. Ben.

celebrandum Pascha Chonatum, provin- Sæculum XI.
ciæ Morissenæ, ubi Gerardus Episcopus A.C.1043.
erat, metropolim venit. Cum vero Ge-
rardus ab Episcopis & Optimatibus in-
vitaretur, ad coronam novo Regi impo-
nendam, venire recusavit. Quare cete-
ri Episcopi sine ipso Regis caput corona
ornarunt, ita enim illorum temporum
mos ferebat, ut Reges in omnibus Festis
Majoribus ab Episcopis coronam accipe-
rent.

Intrat ergo Rex Ovo Ecclesiam coro-
natus, plurimis de Clericis & populo co-
mitantibus, & Gerardus Episcopus con-
scensa Cathedra Regem, opera interpre-
tis, nam linguæ inter Hungaros vulgaris
ignarus erat, alloquitur in hunc modum:
*Quadragesimam instituendi primis aucto-
ribus ratio fuit, ut tempus esset, quo pec-
catores veniam & justi mercedem obtine-
rent. Tu vero hujus temporis Sanctita-
tem commissis paricidiis violasti, filiis
meis me privasti, & dulce nomen Patris
ademisti. Hinc tu hac die venia indignus
es. Cumque pro Jesu Christo mori non
timeam, prædicam, quæ tibi obtingent.
Tertio regni tui anno vindex scelerum
gladius te consequetur, regnum, vi &
fraude paratum, simul & vitam, amit-
tes. Regis amici, latini sermonis gnari,
obstupescences ad tantæ audaciæ sermo-
nem, totius corporis gestu Interpretem
mone-*

Sæculum XI.
A.C. 1043.

nebant, ut taceret, & sic Episcopus Regis furori eriperetur. Sed Sanctus Vir videns, quod metu turbatus verba sua non amplius redderet, *Deum, non homines, time*, inquit, *honora Regem, & Patris tui sensum explica*. Tandemque ut rursus loqueretur coegit. Prophetia dono instructum fuisse Episcopum, illa quæ suo tempore secuta sunt, demonstrarunt. Prædixit quoque, in Hungaria bella & seditiones exorituræ, in quibus & ipse vitam positurus esset.

§. XLVI.

S. Gerardus in Hungaria.

Gerardus natione Venetus, adhuc puer monastico habitu indutus, cum Ierosolimam peregrinaretur, & diversaretur in Hungaria, S. Stephanus Rex ejus Doctrina & morum suavitate usque adeo captus est, ut non solum moraretur invitum, sed etiam custodes conducere, qui eum fugere non sinerent. Gerardus in Monasterium Beelense, a Sancto Rege ad preces Guntherii Eremitæ conditum, se recepit, ubi septem annos continuo jejunans & orans transegit, unicum habens Socium, Maurum monachum, exinde quinque Ecclesiarum Episcopum. Postquam vero S. Stephanus Rex Hungariam pacificavit, Gerardum e solitudine evocatum, ordinari Episcopum jussit, misit.